



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

24. Juramentum episcoporum per dominum Coloniensem capitulo
prestitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

de wy unde dat stichte van Paderborne doe van' ème hopeden to krigen, — der wy doch nicht bevonden hebben¹⁾ — so wort de administracie ontfangen unde unsem hern to willen to gelaten. Dat uns here doe weder dede²⁾ unde besegelde,³⁾ also hir volget.

Nach dem Original im Königl. Staatsarchive Münster, Fürstenthum Paderborn, Nr. 1516. Siegel des Erzbischofs beschädigt.

24. 1415 2. October. iuramentum episcoporum. Redditus episcopi Padeburnensis et episcopalis mense eiusdem non alienabo, sed integraliter conservabo; alienatos pro posse meo recuperabo, nec recuperata alienabo.

Item prepositum, decanum et capitulum ac singulos de capitulo et ecclesia Padeburnensi in disciplina, in iure suo, in libertatibus et consuetudinibus licitis et honestis conservabo et universa bona ad capitulum et singulos canonicos pertinencia sicut mea conservabo ac defensabo ac omnes obedientias et ecclesias capituli cum suis appendentiis, pertinentiis et iuribus sine diminutione per canonicos maiori prebenda prebendatos et emancipatos infra triduum a die note vacationis in ecclesia Padeburnensi optandas et optatas libere dimittam, nec eos vel aliquem eorum in optione huiusmodi impediam quovismodo.

Item iura, iurisdictiones prepositi, decani et archidiaconorum et aliorum prelatorum ecclesie mee Padeburnensis, sicut ea seu eas hactenus et ab antiquo habuerunt et exercere consueverunt, ipsis illesa et inviolata seu illesas et inviolatas dimittam, nec eos in talibus impediam, quoquomodo, moderacione statuti

¹⁾ von der wir doch nichts wahrgenommen haben. ²⁾ das vergalt uns dann unser Herr. ³⁾ und sicherte uns durch Brief und Siegel zu.

provincialis seu cuiusvis alterius, quod dictis iuribus et iurisdictionibus deroget, non obstante.

Item ecclesias sancti Pauli et sanctorum Petri et Andree Paderburnenses et alias ecclesias conventuales sub iurisdictione mea constitutas in disciplina et in iure suo conservabo et bona eorum pro posse meo defensabo.

Item advocatiam ecclesie non infeudabo, nec alienabo, sed liberam ecclesie conservabo; quam advocatiam capitulum thesauro ecclesie comparavit.

Item villicos et litones ad prebendas fratrum pertinentes in petitionibus vel aliis exactionibus seu herbergiis ratione advocacie nunquam vexabo.

Item castra, municiones et opida et omnes possessiones ecclesie mee Paderburnensis non alienabo, sed integraliter conservabo et alienata pro posse recuperabo; nobiles, ministeriales, cerocensuales, litones ac cuiuslibet condicionis ecclesie homines cum universis bonis eorum, que ab eadem ecclesia tenent, in iure suo conservabo, nec ipsos aut ipsorum bona in preiudicium iamdicte ecclesie alienabo.

Item si dubitatur de iure capituli, vel cuiuslibet alterius universitatis, seu singulorum, assercioni decani, prioris et capituli stabo, nec aliquem in preiudicium decani, prioris et canonicorum infra stolas¹⁾ emancipabo.

Item testamentarios episcoporum et canonicorum in execucione ipsius testamenti et ultime voluntatis eorundem non impediam, sed pro posse et nosse promovebo testamentarios eosdem.

Item debita ecclesie ratione ecclesie cum consensu capituli contracta persolvam, prout in gratia creditorum obtinere possum.

¹⁾ unter der geistlichen Gewalt. Sinn des Satzes ist: Auch werde ich Niemand, der ein Leibeigener der Kirche oder eines kirchlichen Institutes ist zum Nachtheil des Dechanten, Priors und Capitels freilassen.

Item capitulo, cum requisitus fuero, in requisicione prebende fideliter astabo et ipsum defendam.

Omnia et singula supradicta ego Theodericus, archiepiscopus Coloniensis, administrator et pastor ecclesie Padeburnensis, libenter servabo et capitulo meo Padeburnensi servare promitto, sic me Deus adiuvet et sancta Dei evangelia. Datum sub meo sigillo secreto anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quinto decimo, crastino beati Remigii episcopi.

Nach dem Original im Königl. Staatsarchiv Düsseldorf.
A III Churcöln Nr. 1548. 1 Bleisiegel.

(Vergl. Abdruck bei Schaten, Annal. Paderb.

Incorporacio domini Coloniensis.

- 25.** Martinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.
- 1429
24. Novbr. Pastoralis officii debitum, quo universis orbis ecclesiis obligamur, assidue nos impellit, ut de ecclesiarum, presertim cathedralium omnium ac illis pro tempore subiectarum personarum statu solliciti, [ut] ¹⁾ prospere regantur et salubriter dirigantur, necnon in pacis et tranquillitatis amenitate floreant, iuxta indultam nobis desuper potestatis plenitudinem operiosis studiis intendamus. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesie Padeburnensis pro illius et ecclesie Coloniensis ac eis subiectarum terrarum statu et commoditatibus conservandis venerabilis frater noster Theodericus, archiepiscopus Coloniensis per sedem apostolicam in spiritualibus et temporalibus perpetuus administrator deputatus existat, nos ex certis causis animum nostrum ad hoc inducentibus spemque nobis indubiam pollicentibus, quod prefate Coloniensis et Padeburnensis ecclesie ex hoc prosperiores consequentur successus ac eo vali-

¹⁾ fehlt im Original.